

(2) Cogitare contra proximum mala, totam oppugnant tabulam legis secundam. **A**randi & ex voto, penes Deum tamen stat, momento eos retrò agere: 2. Reg. VII, 6. seqq.

## USUSE VERSU VII.

(1) Conspiratio Pilati & Herodis adversus Christum nova non est: vid. Psal. II, 1. 2.

(2) Infidix occulta caveri nequeunt absque potentissimo Dei presidio, utut pro viribus sapientiam adhibeamus serpentinam.

(3) Alterius expectare vel procurare mortem, homicidio equiparatur.

## USUS E VERSU VIII.

(1) Iniquitas hostium non immeritò urgetur in precibus, ut ne & ipsi ab eadem vel inficiamur, vel expugnemur.

(2) Dei est calcaneos nostros è pedicis ac laqueis eripere. hunc ergò devotè imploremus.

(3) Contra populos incredulos ac incorrigibiles rogamus iratam Dei deturbationem. Facit hoc tanquam iudex justus, post gratiæ oblatae pertinax repudium, post ecclesiæ aut fidelium oppugnationes iniquas, &c.

(4) Deturbatis ab honore, sanitate faustoque statu in contemptum, agritudines, mortem denique ipsam & huius & futuri seculi.

## USUS E VERSU IX.

(1) De fugâ & divagationibus dictum Psal. LV, 8.

(2) Numerantur nostri gressus à Dei providentiâ; itemque lacrymæ in miseriis fusæ.

(3) Etiam si caro subdubians incipiat querere: annon in scriptis tuis? spiritus tamen masculè occlamat: omninò ita est, nil nobis contingit Deo inscio aut invito: Matth. X, 29.

(4) De lacrymarum pretio vide Psal. CXXVI, 5. Sirac. XXXV, n. Judic. II, 18. 2. Reg. XX, 5. Luc. VII, 38.

## USUS E VERSU X.

(1) Ut progressus mundanorum non rarò sint admi-

(2) Precum vis mira atque certa: Jac. V, 16.

(3) Infelix est dubitatio, laudata in Papatu, in rebus salutis propriæ, parumque quadrat ad hæc Davidis: scio, quòd Deus sit mecum, vel prome: v. L. de fidei certitudine.

(4) Deus infallibiliter est nobiscum, quando nos peccatis serio agnitis, fide recumbimus in promissis evangelicis, emendaturi admissa.

## USUS E VERSU XI. &amp; XII.

(1) Repetitio Versus quinti pretium Verbi divini inculcat insigniter.

(2) Laus proinde non nimium iterari potest.

(3) Item dicendum de fiducia intrepidâ, de hominum fragilium contemptu: vers. 6. vide Ebr. XIII, 6.

## USUS E VERSU XIII.

(1) Vota semel præstita, religiose observanda: premunt illa, & super nobis sunt, quamdiu non exsolvimus.

(2) Laudes Deo debentur primò atque unicè. vid. præcept. II.

## USUS E VERSU XIV.

(1) Anima è morte eripitur, quando ex morbis letalibus periculisve extremis eluctamur, item ex tentationibus spiritualibus, &c.

(2) Pedes nostri, b. e. cunctæ actiones atque motus nostri, periculis expositi sunt plurimis: à lapsu servamur, Deo præbente manum: oculos aperiente nostros, suggerente consilia salubria, &c.

(3) Ambulandum coram Deo reverenter, ad insar Abrahami, Genes. XVII, 1. & Enoch, c. V, 22. Sic

(4) Ambulabimus post hanc etiam vitam in luce viventium: de luce in lucem: Joh. III, 21. 1. Joh. I, 2, III, 2. &c.

## PSALMI LVII. DISPOSITIO.

Cor paratum. Pius inter leones. Juva Deus; canam.

**P**ost titulum, quò autor, occasio, finis C modusque cantici exprimitur v. 1. attenditur.

I. Peritum (α) miserere Deus! miserere!

v. 2. Rationes: (1) in te confidit anima mea;

(2) sub umbrâ alarum tuarum delitescio: (3)

ærumne circumstant, quas præterituras credo: ibid. (4) invoco te Deum excelsum &

undique me ambientem: ibid. (5) spero sub-

venturam cælitus salutem, gratiam veritatem-

que tuam: v. 4. (6) periclitor insigniter:

anima mea in mediò leonum: cubo inter flam-

mantes; inter meras lanceas, tela gladiosque

linguarum pessimarum: v. 5. (β) Elevare, Deus

gloriose, super cælum terramque! v. 6. Ratio (1) gressibus meis paratum est rete: v. 7. (2) anima mea incurvata est (3) parata ante me fovea: ibid.

II. Gratitude orantis debita: ubi (1) ratio; ceciderunt insidiatores mei in foveam mihi paratam: vers. 7. (2) modus: paratum est cor meum ad cantus psalmosque: v. 8. evigilat anima mea manè ad nablium & citharam: v. 9. celebrabo te inter populos: v. 10. ob immensitatem gratiæ veritatisque tuæ. v. II.

III. Conclusio per votum, jam v. 6. positum.

## PSALMUS LVII.

## EXPLICATIO VERSUS I.

אל תשחך Ne perdas: ita Rasche, Vatavilus,

Junius & Piscator: scilicet me, o Deus! i. e. ne finas me perdi à persecutoribus. Sic pro generali